

*Individuorum  
multiplicatio.*

Alterum quia incommunicatione non communicatur tota natura à generante ipsi genito, ideo potest multiplicare filios: Vel vt melius dicam. In alijs generationibus non sufficit vnus filius ad explicandam perfectionem generationis, sicuti non sufficit vna itella, nec vnus Angelus, nec vna anima ad illustrandum caelum, implendam sanctam ciuitatem, & perficiendum mundum, quia cum sint finita recipiunt limitate, & hoc modo sunt nil respectu Dei: Ideo vt maior bonitas Dei in finiti cognoscatur sunt multa. At in generatione filij tota natura communicatur, & per consequens tota infinitas, tota sapientia, & tota omnipotentia: Idcirco sufficit ille filius. Concludamus, ergo quod in ipso sit omnipotentia, & quod possit generare, sed non generat, quia non decet, nec oportet. Hæc quo ad probationem conclusionis.

Modo insurgunt multa dubia, quibus probatur, quod nullo pacto fuerit potentia generandi in filio, & huius mentis fuerunt præclarissimi viri inter quos fuit etiam Richardus de S. Victore S. Bonauictura, & noster Doctor in hac d. 7. & in d. 26. vbi multa pulcherrima videbimus, & necessaria.

### ARGVMENTA OPPOSITA.

1. Argumentum est in litera Magistri, Dicunt isti, & satis argute. Si filius posset generare, ergo filius posset esse pater: Aut esset.

Pater sui. } Aut Spiritus Sancti. } Non potest esse pater sui, quia nullus seipsum generat, quia esset, Aut patris. } Aut alterius. } & non esset.

Bon.

Non potest esse pater patris, quia pater est ingenuus, & innascibilis.

Non potest esse pater spiritus sancti, quia spiritus sanctus nasci non potest.

Non potest esse pater alterius, quia nullus alius semper fuit sicuti filius, ergo nullo modo poterit generare.

2. Impossibile est quod principium alij communicet suam primum, nam est oppositio in adiecto dicere principium, & dicere productionem, quia si productum, ergo non primum.

Sed fecunditas productionis, & generationis in diuinis pendet ex primum, ergo cū solus pater sit prima persona, & non filius, solus pater generabit, & poterit generare, & non filius.

3. Generatio filij à patre est similis generationi Verbi à mente nostra.

Sed Verbum non producit Verbum aliud, cum omne Verbum immediate sit à mente, ergo.

Cum filius sit Verbum nullo modo producat alium filium, ergo non est illi potentia.

### HOC MODO OPORTET SATIS FACERE.

Ad primum si filius posset generare, ergo filius esset pater, Respon.

Aliquem non generare stat dupliciter inquit Magister.

Vel quia in illo non est potentia generandi.

Vel quia non est necessitas, nec opportunitas generationis. } Si sumatur primo modo, non generat, quia non est potentia generandi sequitur maxima imperfectio: si sumatur 2. modo, non generat, quia non oportet dico, quod arguit summam perfectionem.

Ad propositionem dico quod filius non generat non quia caret potentia generandi, sed quia non oportet, & hoc modo dicit perfectionem.

Exemp. affert Magister de patre, dicens. Pater non est filius, ergo pater ex hoc erit impotens? Negatur. Nam non est filius, quia repugnat suæ proprietati, quod est à se, & filius non est pater, quia repugnat suæ proprietati natiuitatis.

Michael Noster Bono. in hac 1. dist. 20. Responderet, & pulcherrime dicens. Ratio quare filius non generet licet habeat potentiam generandi est quia habet terminum adæquatum infinitum in supposito patris. Ideo vt formaliter respondeamus dico quod potentia est duplex.

Altera cuius terminus non est adæquatus, nec adæquans. } Primo modo potentia illa quæ non habet terminum adæquatum nec adæquans vt pater in humanis, non adæquat patrem, quia non recipit totam substantiam patris, ideo potest pater alium generare: sic nec pater est adæquans filium, quia deficit, & non potest in illo conseruari, ideo vt conseruetur oportet, vt alium generet. Non sic autem est in diuinis, quoniam in illa potentia est adæquans, & adæquatus terminus. Filius est adæquatus terminus, quia recipit totam essentiam patris, non potest alium generare per intellectum, quia totum communicauit. Pater est etiam adæquans, quoniam est perpetuus, & in illo conseruatur filius per essentiam. Hac dist. posita dico.

Non generat nec vt pater nec, &c. ergo non potest, nego conseq. Ad 2. non solum est verbum, sed filius, ideo test. Ad illud. Impossibile est quod principium com. primi. Transeat, ergo non incommunicatione producenti negat? Et sic soluunt mille difficultates. Habuisti, ergo. In sequenti declarabo D. Doctoris, vbi tenet oppositum, quod filius non potest generare: erit pulcherrima.

### LECTIO VIGESIMA SESTA.

Super Quæstione septima ex Ioanne Bachonitano in qua duo quærit, & examinat.

Alterum est penes generationem patris, an pater in diuinis poterit generare alium filium? Alterum penes filium: An filius potuerit generare alium filium sicuti pater? Responstio talis est.

Quod nec pater generare alium filium: Nec filius filium gignere valet. Probat primam conclusionem.

Certum est apud illustres Theologos, quod filius est terminus adæquatus generationis æternæ alioquin esset generatio imperfecta, sed vbi datur terminus adæquatus non potest esse alia productio indiuidui, ergo cum filius sit indiuiduum erit vnus. Probo minorem.

Omnia quæ in diuinis sunt ad intra, sunt de facto, quæ autem sunt de facto sunt necessario. At filius de facto generatur, ergo non datur alius filius. Ideo inquit Doctor. Propositio quæ dicit pater in diuinis non potest generare alium filium, est necessaria simpliciter, & oppositum fieri est impossibile.